

Anacreon, qui, non, ut Gorgonius, hircum, nec, ut Rufillus, pastillos, sed vina mera, redoleat, nilque nisi multo Venerem cum vino confundere praecipiat, nisi eiciatur e ciuitate eruditorum, certe tamen, ut pestifer virtutisque ac pudicis moribus inimicissimus ciuis, opprimatur, neque ei honoris habendum hoc, ut eius Odaria saepius emittantur; multo autem maxime cauendum et prouidendum, ne illa adulescentibus a magistris scholarum enarrentur. Sed quam leuis sit et vana haec reprehensio; facile, puto, doceri poterit et demonstrari. Neque enim cani ab Anacreontis musa facta Atridarum Cadmiue fata, sed Amoris pharetram et tela, Liberique munera, res quidem est confessa atque manifesta. At primo id fit verbis non turpibus nec obscenis, sed verecundis et honestis, quae neminis aures pudicas temere offendant, neque lectorum ora, ut lasciuia Ouidii Ars Catullique Elegi leues, rubore facile notent. Deinde Amorem et Vinum, res esse per se honestas constat, de quibus nemo facile, si modice quidem iis nec nimis crebro et legitime utatur, soleat vituperari; sed quae fiant turpes et deformes vitio atque errore hominum. Postremo Anacreon Amore et Vino praedicando nihil videtur docere voluisse aliud, quam quod non oporteret vnquam tristitiae indulgere neque se curis conficere, nec quae essent futura cras, anxie et sollicite quaerere; sed, pulsus e pectore mordacibus curis, laeto semper hilarique et otioso animo esse: quae munera mortalibus Liber, Venusque modica, sed legitima, praestarent. Cur igitur poetam eum, cuius musa res non malas canat haud male, sic, ut Romani Horatii aetate Satiricos, oderis? Quidni scholarum magistris liceat eiusmodi poetae Carmina ingenuis adulescentibus interpretari? Nisi velis forte Aristophanem, Plautum, Terentium, Horatium, hoc est, optimos vitae morumque*

* V. Plato Sympos. 8 et Gellius N. A. 17, 24.